

UM
RUM
E
EINZIA
UM



VESTRO NOMINI
VIRI

MAGNIFICI. AMPLISSIMI. CON-
SULTISSIMI. LITERATIS-
SIMIQVE

DN. JOHANN. GEORGI BOHSI
ILLUSTRISSIMORUM. PRINCIPUM. AN-
HALTINORUM. CONSILIARIE. GRA-
VISSIME. ET. LAUDATISSIMÆ REIPUBL.
HALLENSIS. SYNDICE CELEBERRIME.

DN. JOHANNES EXI. REIPUBL.
LUCCAVIENSIS. CONSUL. MERITISSIME.

DN. BRUNO ALTMANNE.

DN. AUGUSTINE LANGI.

DN. THEOPHILE STEPHANI

DN. ABRAHAM RÖSEMANNE.
EIVSDEM. REIPUBL. SENATORES. CEL-
BRES.

PATRONI. ET. EVERGETÆ.
MAGNI. PRO. BENIVO-
LENTIA. LARGIORE.
EANDEMQ; PERGENDI
ILLICIO. HANC. DISQVI-
SITIONEM. L.M. QVE. OF-
FERO.

SAMUEL. STURMUS.
RESP.



EVANGELII
DOMINICÆ PRIMÆ AD-
VENTUS.

ANALYSIS.

Matth. 21. à v. 1. usq; ad 9.

ANTELOQUIUM.



*Eleusma est Psal-
ris Ps. 24. 7. & 9. at-
tollite portæ capita
vestra . & elevamini
portæ æternales ! & in-
troibit Rex gloriæ !
Quis est ille rex glo-
riæ ? Dominus fortis
& potens , ipse est rex gloriæ , Selah ! At-
tendimus id merito , dum jubemur potissimum
hoc ipso tempore , quo grata mente recolimus
presentiam Adventus Domini istius ad re-
demtionem nostri . Et quidni ? Nostis , quan-*

A

de

do aliquis homo potens aut nobilis, inquit Augustinus sermone. i. de tempore tom. i. natalium suorum, aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies, quicquid in domo sua sordium invenit, ordinet emundari. Si ergo tanta preparas, o homo, in natalitio tuo, aut filij tui, quanta aut qualia preparare debes suscepturus natalem Domini tui? Eo igitur respexit veneranda antiquitas: & propterea tempus Adventus sollemnius celebravit, ut se ad Natalem Domini devotius prepararet, Unde Bernhardus: Non tam devotè universa Ecclesia presentem celebraret adventum, nisi lateret in eo magnum sacramentum. Quomodo autem ille Adventus rectè celebretur, & ad eum ritè homo preparetur, in hoc Evangelio docetur.

Sit itaq; THESIUM I.

Est autè in eo tñ operosus apparatus, cujus describitur modus, ubi occurrit Christi effectus discipulorū ablegatio. v. i. in quo tñ circumstantia, partim temporis dum inquit cum appropinquassent, nempe Christus cum discipulis, unde Syrus in singulari tanquam de principali persona intelligens, posuit. Appropinquavit certè, & non erat è longinquo Jerem.

25. 23.

25, 23. ut nos appropinquaremus illi Jacob.
4. 18. Etiamnum appropinquat in ecclesia
Matth. 18, 20. in Coena Matth. 26, 28. appropinquat in precatone devota. Queramus igitur Dominum, dum inveniri potest, dum prope est Esa. 55, 6.

2. Partem loci, & vel remotioris, Hierosolymam: nempe visionem pacis, reparaturus pacem internam & eternam; sanctam civitatem, ut summus sacerdos, reconciliaturus nos Patri, terrenam introducturus nos in eternam.

3. Vel propioris, qui nominatur, & venissent in Bethphage: si quidem Bethphage prope Hierosolymam sita, ut quasi fuerit intra muros Hierosolymitanos, eratque villa sacerdotum ad animalia nutrienda, & ad manendum tempore, quo non vacabant Levitae cultui divino. Et quamvis potuisset Bethaniam recto itinere Hierosolymam petere, ut pervenisset ad arcis portam, sed declinavit ad laevam, ut deveniret ad portam templi, ne videretur arcem Sionis occupare, & terreni regni administrationem affectare. Habet verò nomen vel à maxillis, uti Glossa ordinaria interpretatur, Hieronymus ad Eustochiam virginem Epist. 27. vel à ficibus immaturis, qua ab Ebreis פִּיכָא dicuntur, ostenderet, se emplastrum afferre livoribus nostris & tumoribus, quos ficus sanat

4
Es. 38, 21. Ut maxillas adhiberet ad defendendum regnum suum, cum arma militia nostrae sint spiritualia, 2. Cor. 10. 4.

4. Et declaratur ejus situs, quod fuerit ad montem olivarum, seu ut Syrus habet, juxta verticem montis olivarum. Qui mons ab oriente imminebat urbi, ceteris altior, distabatque ab urbe itinere Sabbathi, quod uti non magnū, ita Titus in obsidione urbis, muro, quo Judaeos inclusit, etiam hujus montis partem complexus est teste Josepho. Ideo autem ad montem venit oliveti. inquit Ambrosius lib. 9. in Lucam ut novellas oleas in sublimi virtute plantaret, & celsitudinem dilectionis insinuaret, quod Beda habet, & pacem insinuaret, quia olea pacis signum.

5. Tum facti summa, quod Jesus miserit duos discipulos: ubi non personas denominavit cum Glossa ordinaria voluit Petrum & Philippum intelligi, quorum alter asinam adduxerit, nempe Samariam, alter pullum, nempe Cornelium Actor 10. 1. Anselmus arbitrat, alterum fuisse Johannem, alterum Petrum, quia isti duo ad parandum agnum ablegati Luc. 22, 8. Sed numerum designavit, ut constaret charitatem non in uno consistere, neque veritatis testimonium Deut. 19. 15. sic ex discipulis 70. mittebantur duo & duo Marc. 6. 7. ut mutuas praestarent.

5
rent operas: quo ita discamus concordiam esse
in officiis colendam:

9. Et injuncta ipsis comissio per effecta, ubi
continetur asinae & pulli adductio v. 2. In quo
rum summatim, ablegantis persona & forma,
quod dixerit ipsis, nempe Jesus discipulis duobus
Idq; sit ut Evangelista ostendat dicentis autho-
ritatem, & legati utriusq; dignitatem, veluti
in legatione fieri solet nec secedant ab instituti-
onis forma, sed eandem fideliter retinere te-
nentur.

7. Tum sigillatim, quoad facienda an-
te, ut abeant. Quo ostenditur non residen-
dum, sed eundem esse in vocationis executio-
ne.

8. Et simul petant: ubi nominat tum lo-
cum, qui est vicus ex aduerso positus: iste
enim erat terminus, cuius situs ex accidente in-
dicatur, dum dicitur, qui contra vos est. Et
intelligitur per vicum Synechdochicè Beth-
phage, qui alias Christo notus, dum Lazarum
ibi suscitavit Joh. II, 43. Non ergò intelli-
gitur Hierosolyma, quasi castellū diceretur secun-
dum Lyram, cum *κώμη* appelletur, quæ vox
urbi non convenit, uti patet ex 1. Sam. 6. 10.
2. Paralip. 13. 19. Neque intelligitur Betha-
nia, dum illa fuit secundum Marcum in decli-

vi.

vi, & Christus Bethaniã sit egressus; neq; pa-
gus suburbanus, uti Calvinus voluit. Iubentur
autem ire in castellum, hoc est non manere, sed
ambulare in vocatione, in qua non retrogredi-
endum ob pericula, non fugiendum ob incom-
moda, sed etiam eundem in contraria.

9. Tum signum, cuius quantitas quod
sint in venturi statim Et quidem Matthæus &
Marcus describunt tempus, quod statim fa-
ctum: Lucas addit & locum in vici ingressis.
Et quamvis Johannis 12. dicatur, quod ipse
Dominus asinã invenerit, tamen Lyra addidit
nempe per missionem discipulorum, quod Evan-
gelista transit, quia sufficienter ab aliis fuerat
expressum. Quo probatur Christi omniscien-
tia, quia vidit asinam cum pullo localiter abs-
entem, uti vidit Nathanaelem sub ficu seden-
tem Joh. 17.40. Lazarum Mortuum Ioh. 11.
11. aliquem discipulis suis occurrentem Marc.
14, 13,

10. Etiam qualitas additur, quod sit asina
alligata & pullus cum ea. Ut & ostendatur &
Iudeos & gentes intelligendos esse; per asinam
enim, qua subjugalis & domita, Synagoga innu-
itur, per pullam asina, in quo nemo insedit,
gentium populus, secundum Hieronymum &
Ly-

Lytam in hunc locum. *Asina* verò fuit, ut
 textus habet versus isto & septimo. Et licet Za-
 charias videatur de asino loqui, tamen cum
 vox *Ebraica* אִשָּׁה sit generis communis, uti &
 2. Sam. 19, 26. usurpatur, merito in genere *Fæ-*
minino secundum receptam sententiam retine-
 tur, cum & *Græcus* posuerit genus *fæmini-*
num τῆνορον. Alligata verò dicitur per fidei
 vinculum, quippe tenebatur homo iniquo ad-
 ductus domino errore famulatus secundum
 Ambrosium lib. 9. in Lucam c. 21. Pullus au-
 tem foris iuxta ianuam à Marco alligatus legi-
 tur, quia quicumque extra Christum est, foris
 est in via. Et inde est ludibrium gentium, uti
 habet Cornelius Tacitus, quod *Judæi* colue-
 rint Deum insidere asino; inde quod iuxta Ter-
 tullianum dicti sint *asinarii*, attamen cum &
 Abraham in asino sederit Gen. 22. 3 & David
 I. 3. & Debora Jud. 5. 10. cur ignominiosum
 erit? imo, uti illis, ita Christo gloriosum est.

11. Post solventes adducant. Qui finis
 ablegationis: sunt autem hæc mera mysteria
 Salvatoris, qui solvit vincula per discipulos ex
 judæis, & populis, qui venit ex gentibus, uti ha-
 bet Origenes hom. 14. in Matth. Nempe per
 doctrinam & per miracula, secundum Chry-
 solo

Chrysoſtomum hom. 26. ut ostendat ministris esse eundem per vocationem, esse solvendum per clavium usurpationem, esse adducendum per jucundam Evangelii prædicationem.

12. Et futura Domini interpellatio v. 3. In quo eventus inopinatus prædicitur, cujus antecedens; si quis dixerit vobis aliquid. Quo ostenditur & confirmatur Christi, etiam de dictis contingentibus, præscientia. Per quam ipsum verum Deum esse demonstratur, cum eius solius sit futura prædicere. 1 Reg. 8. 39.

13. Consequens respectu petentis, quod debeant dicere, Dominus his opus habet, ubi Lucas & Marcus addunt, interrogatos esse. Responderunt autem, Dominus, non Dominus noster, quia ipse solus Dominus, non solum animalium sed omnium hominum, secundum Chrysoſtomum homil. 33. in opere imperfecto.

14. Et respectu dimittentis, ubi dicitur: & statim dimittet eos. Ita ergo, cum non suis sint usi verbis, miraculum hoc secutum. Unde Chrysoſtomus hom. 76. in Matth. ait: diligenter expende, quot miracula peragat: & prophetias adimplet, asinam inventuros prædixit, neminem prohibiturum, & omnes tacituros affirmavit. Hinc etiam discipulos docet, quicquid ipse peteret, etiamsi animam dare juberet, absq̃

absque omnino controversia esse dandum: nam
scesse ut ignoti quid discipuli facere deberent?
Unde etiam discendum inquit Chrysostr. hom.
67. in Matth. succurrendum esse proximo, nec
facile denegandum quippiam. Confestim
autem hoc faciunt. Quoties ergo pauper tuus
operam indiget, quoties petit, confestim succurre.
Et si potest dare dato inquit Augustin: super Ps.
103. si non potes, affabilem te presta; coronat
Deus intus pronitatem, ubi non invenit facul-
tatem.

15. Et ostenditur finis respectu facti, estque
prophetiae impletio, v. 4. In quo habetur
summa, quod factum sit hoc: ut intelligatur,
omnia ita facta esse à Christo, non casu fortui-
to, non ex novitatis studio, sed ex Scripturae
predicto.

16. Tum causa, ut impleretur, quod di-
ctum per Prophetam: est enim ut demonstra-
tiva particula eventus. Et cum in genere Pro-
phetam nominet; duplicem prophetiam, alte-
ram opere, alteram verbis adimpleri innuit,
uti monet Chrysostr. hom. 76. in Matth.
Propheta ergo adhibetur testimonium, ut ap-
pareat, Dominum omnia, quae de ipso scripta
erant, implevisse; invidiam autem caecos
Scribas et Phariseos ea, quae ipsi legebant, in-
telligere noluisse. Respicit verò et Zachariam

quoad opus cap. 9. 9. Et Esaiam quoad verba ei.
62. 13. Omnia itaque ad scripturam in religione
& religionis probatione sunt revocanda.

17. Et ejusdem recitatio v. 5. in quo per-
sonæ, cui dicendum, declaratio, nempe filia
Sion. Per quam Hierosolymam intelligit,
qua ex parte ad montem Sion erat exstructa,
ubi templum Salomonis, & Regia Davidis, 2.
Sam. 5. 7. Per Sionem autem incolas fideles
sive quis velit gentes, sive Iudeos, per Metony-
miam & Synechdochen Filia autem dicitur me-
taphoricè, quia Ecclesia est sponsa Christi. Dei
filia. Alloquitur verò Doctores, quasi dicat
vos qui spirituales estis, & prophetia spiritum
habetis, dicite anime expectanti & eum ad-
ventum plurimum desideranti, ut oculos fidei
sue aperiat, & me statim adesse cognoscat, uti
habet Thomas de Kempis de adventu Chri-
sti meditatione 3. num. 1.

18. Et materiæ, quid dicendum, notatio
ubi tñ præmittitur vocabulū Ecce, attentionis
& demonstrationis, ne torpeant mentes, sed ut
respiciant quis sit. Tum exponitur & descri-
bitur partim à relatis, ubi officium & excel-
lencia dignitatis, quod Rex. Rex est, &
quidem talis, qui habet non modo regnum po-
tentia & glorie, sed etiam gratia, quod colligit
per

per verbum, mundat per Baptismum, pascit
per Sacramentum, probat per crucem, Iustifi-
cat per fidem, ex 1. Tim. 6. 15. unde Bernhar-
dus: si personam advenientis intueor, non capio
excellentiā maiestatis. Nec rex est peregri-
nus, sed nobis affinis.

19. Et beneficium, quod est benevolentia
charitatis, dum tuus vocatur: ut qui noster est
ob incarnationem Ps. 100. 4. noster ob redem-
tionem Es. 41, 1. noster ob instructionem, noster
ob glorificationem: omnibus quidem creaturis
rex est generalis, tibi autem specialis, Thomas
de Kempis de Adventu Christi meditat. 3.
f. 7. Dum tibi, si intellexeris Chrysoft. hom.
36. venit tibi, si non intellexeris venit contra te.
Illud ut salvet te, hoc ut perdat te.

20. Tum ab accidentibus communiter,
quod veniat, scilicet ad errantem via, ad igno-
rantem veritas, ad mortuum vita, ad cecum
lumen Thom. Kemp. medit. 3. f. 7. quia pro-
misi, quia debuit, quia decuit, quia potuit.
Specialiter est eorum aliud inhærens quod sic
mansuetus, ut ob gratiam ametur, non ut per
potentiam timeatur. Nec venit ut iudicet mun-
dum, sed ut salvet. Et quia non terrena im-
mitibus, sed mansuetis cœlestia dare promise-
rit ex Psalmista Ps. 36, 10. Beda allegat.

21. Tum adhærens in genere quod sit pauper, ubi in Ebraeo ענין id est talis egenus, qui non modo pecuniis caret & facultatibus, sed etiam qui corde est afflicto & humiliato, intelligitur. Idq; intelligendum est de adventu primo, qui factus est cum humilitate ad redimendum, non de adventu secundo, qui futurus est cum majestate ad judicandum, uti Daniel habet 7. 3.

22. In specie dum insidet super asinam, redurus Judæos, & super pullum redurus gentes. Quæ verba juxta Calvinum in Zachariam non sunt figuratè intelligenda, sed propriè, cum propriè insederit, Ergo non sedit in curru aureo, pretiosa purpurâ fulgens, non ascendit super equum fervidum, discordia amantem & litis, secundum Chrysostrum. hom. 27: oper. imperf. in Matth. sed super asinam tranquillitatis & pacis amicam. Et ne quis offendatur, ac si Evangelistæ non consentirent, dum alii pulli tantum meminere, super utrumq; alternatis vicibus insedisit, cum Rabano contra Rosbergium, qui Christum tantum pullo insedisit disputat, autumandum.

23. Respectu discipulorum, quorum notatur exsecutio, quæ est mandati obsecundario v. 6. in qua recenset factum, tum quod ierint disci-

discipuli. Ita nimirum debent, qui volunt
 esse ministri Ecclesie, ire secundum illud Ier. 1.
 7. ibi quo te misero, & secundum vocationem
 Matth. 28, 19. ubi iubentur ire in universum
 mundum.

24. Tum quod fecerint: nam eum, qui
 docere aggreditur, inquit Isidorus Pelusiota
 lib. 3. Epistolatum epist. 189. facere oportet,
 qui autem non facit, cum ne verba quidem fa-
 cere convenit. Ut discamus obediendum esse
 nãdatis divinis, obediẽtiam quippe fides ex-
 igit, non curiositatem, inquit Chrysoft. tom.
 1. serm. 27, in cap. 15. ad Rom. & quando Deus
 precipit, morem oportet gerere.

25. Et modum; sicut præceperat ipsis
 Jesus. Ergo non aliter agendum in rebus, po-
 tissimum fidei. Non enim sunt Dei decreta
 stultæ rationis ductu mēsuranda: nam si in con-
 silium adhibuissent rationem humanam, sua-
 sisset illa, ea facienda non esse, quæ ipsos disci-
 pulos in periculum amittenda fama, vel etiam
 vitæ adducerent. Quis enim sine periculo alte-
 rius ignoti asinos abduceret ignotus?

26. Et executionis probatio ex effectis, ubi
 est Christi per discipulos in asinam & pullum
 collocatio v. 7. in quo distinctim adduxerunt
 asinam & pullum secundum mandatum, quia
 neq̃

neq; patriarcha, neq; legislator, neq; Propheta
solicitus fuit de salute gentium, sed Apostoli qui-
bus permissum erat docere gentes. Solverunt igitur
asinam, hoc est humanam naturam, inquit
Theodoretus quæstione 108. in Genesim &
solverunt populum, nempe populum ex illa na-
tum.

27. Coniunctim, quod imposuerint,
tum super eos vestimenta sua, nempe discipu-
li, significantes Salvatorem nequaquam insi-
dere nudæ animæ, inquit Bernhardus sermon.
29. super Canticum, quam non videlicet in-
venerit vestitam doctrinâ & moribus Apostolo-
rum: In scripturis enim divinis plerumq; vesti-
menta virtutes sunt, quæ gentium duritiam ali-
quantulum propriâ virtute mollirent, ut in of-
fensa vecturæ felicitis obsequia, inquit Ambrosi-
us lib. 9. in Lucam, sedulis affectibus exhiberent.
Syrus vertit pallia, quamvis græca dictio togas
denotet. Ideoque nos etiam vestes Christo sub-
sternere debemus, dum vitam pro Christo ju-
bemur relinquere Joh. 11. 25. pauperes vestire
Matth. 12, 90. carnis desideria exsuere Eph.
4, 22.

28. Tum Christum super ea. ò felix ju-
mentum, super quo Christus, quoniam est ani-
ma iusti, uti habet Bernhardus de sancto Be-
ne-

Benedicto. Et ita manifesta Christi paupertas, alienus est asinus, alienus pullus, aliena vestes, nemo tamen offenditur, quia in tam contemptibilibus multo mirabilius divinitas seipsa manifestat secundum Augustinum, ita paupertas Christi nostrum est solacium, simus pauperes in Christo sumus divites.

29. Sic fuit operosus apparatus, sequitur gloriosus comitatus. Ubi occurrit in viam vestimentorum & ramorum stratio v. g. In quorum subiectum, quod fuerit plurima turba, ut ita non sit πολλὸς tantum ὄχλος, ut haec alienus saepe, sed πλεῖς, qui congregatus erat propter festum, ad quod ex omnibus Nationibus Iudei confluerent, quorum multi desiderio Christum videndi tenebantur, Ioh. 12. 20. propter miraculum resuscitati Lazari.

30. Prædicatum continet effecta, quorum aliud in artificialibus quod straverint vestimenta in via, scilicet non ut asina & pullus offenderet ad lapides, ut ait Lyra, sed ut honorem hunc regibus exhiberi solitum uti testatur Plutarchus in vita Catonis Uticensis, Christo exhiberent. Apostoli vero super pullos, populos in via, ut ostenderentur utriusque servitia, & docerentur vestimenta sternere in via, id est membra sui corporis humiliare, & bona terrena pauperibus er-

rogare, quia terrena nihil sunt aliud nisi corporis indumenta, inquit Theophylactus in cap. 21. Matthæi. Exsuenda etiam vestes veteris Adami Ephes. 4. 22.

31. De naturalibus, tum quod alii ceciderint ramos de arboribus. Nempe ex consuetudine festi Tabernaculorum. Et legimus tamen ramis etiam exceptum Simonem Iudæ Maccabæi fratrem, 1. Maccab. 13. 2. Maccab. 10. 7. Agrippam teste Philone lib. 1. de legatione ad Cajum, Alexandrum M. teste Iosepho l. 11. Antiquit. c. 8. Fuerunt tum palma, tum olea ut constat ex Iob. 12. 13. Atq; ita viriditas ramorum erat signum lætitiæ & exultationis, censente Lyra. Idque fecerunt, ut prava recta facerent, ut inæqualia equalia, quo rectius atq; securius in corda credentium Christus Dæmonum & vitiorum victor incederet, teste Hieronymo in hunc loc.

32. Tum quod staverint eosdam in via, propterea enim cædebant. Ut discamus nos etiam ramos palmarum offerre, si pro potenti victore ipsum agnoscimus; olivarum, si pro pacis principe ipsum colimus; & si sanctos in pietate imitamur, iuxta illud Theophylacti: sternamus & nos viam vitæ nostræ, cadentes ramos de arboribus hoc est imitantes sanctos, ut per ea exempla, quasi per ramos virentes sine offendiculo

ambulemus, secundum Chryostomum homil. 26.

33. Et populi gratulatio v. 9. In quo tum est distributio quod populi & praecedentes & sequentes fecerint, ut ordo ostendatur. nempe adumbrantur ii, qui vixerunt ante Christum, & qui Christum sequuntur, illi fide fortiori praediti, hi fide infirmiore homines, illi venturum credebant, hi venisse credentes. Nemo otiosus, nemo fabulis intentus, unusquisque locum suum tenet, officium suum quilibet laetanter intendit, uti Thomas Kempis meditat. 27. num. 3. loquitur.

32. Tum ipsa acclamatio, quae amplificatur recitatione formali, in qua intonant, per gratulationem, dum clamant Hosanna; Quae verba desumpta sunt ex Ps. 118. 25. qui manifesto de adventu Salvatoris tractat; Et denotantur potissimum rami, qui gestari soliti in festo Tabernaculorum, quos etiam Hosannas appellarunt, uti habetur in libris caeremoniarum judiacarum, & notat Angelus Caninius in disquisitionibus N. T. p. 47. Inde potius est retinendum Hosanna, quam Hoschianna substituendum, dum non habetur in fontibus. Et quid foret, salva queso filio David: uti monet Theodoricus, vid. & Suidas in Hosanna.

35. *Et per denotationem quod filio David illud ipsum acclament. Ne quis suspicetur alium intelligi, propterea etiam indignabantur Pharisei ipsi exhiberi hanc honorem & aggressi sunt eum dicentes, audis quid isti dicant? Matth. 22. 16.*

36. *Et quod benedictus veniat in nomine Domini. Christus verò erat qui venturum dicebatur juxta scripturas Dan. 9. 26. & Et quia filius venit in nomine patris, juxta tertullianum adversus Praxiam c. 17. Quamvis possit intelligi etiam in nomine proprio, quia & Dominus est, uti habet Augustinus tractarum 51 in Joh. Maledictus ergo qui venit in nomine suo, uti idem habet in Ps. 117.*

37. *Et terminant, Hosanna in altissimis, quia Salvatore nascente salus in cœlum usq̄, id est, etiam ad excelsa, pervenit, uti habet Hieronymus Epistola ad Damasum. Ut discamus perpetuo laudare Deum. Egredere ergo, inquit Drogon Episcopus Hostiensis lib. 1. de Sacramentis Dominicæ passionis, tom. 1. Bibliothecæ patrum minorum, cū pueris Ebraeis, qui transeunt simpliciter in occursum Domini, sterne in via ramos sylvarum, & opera misericordie pedibus eius accomoda. Accipe frondes palmarum, ut triumphes, de principibus tenebrarum. Nihil in te resideat, quod*

in occursum Iesus non prodeat, quia nec una un-
gula in Aegypto Pharaoni relinquenda est, uti
habetur Exod. 10. 26. Manus & cor lingue
consonent: Hosanna in altissimis.

NOTÆ.

I.

Adducite asinam & pullum) considera
Christum ad suum triumphum vi-
lia petuisse animalia; ut discas Christiani
hominis gloriam esse in humilitate.

II.

ET abierunt discipuli) considera disci-
pulorum obœdientiam; ut discas, si
vis esse Christi discipulus, obœdire.

III.

Straverunt vestimenta,) considera disci-
pulos & populū stravisse vestimenta,
ut discas, te vestes sternere pedibꝰ Chri-
sti, quando bonis temporalibus succur-
ris pauperibus, & ramos olivarum, cum
opera charitatis & misericordiæ præ-
stas.

CASUS CONSCIENTIÆ

An quis superior possit aliena
poscere?

ITa videtur colligi posse, dum Christus jubet
discipulos hoc ipsum; & ita principibus

qui blandiuntur & eos adulantur, cum Ange-
 lo in L. item si verberatum 15. ff. de rei vin-
 dic: dicitur: mentiri illum per gulam, qui con-
 tendat, quod imperator ex plenitudine po-
 testatis non possit auferre dominium, ne-
 dum usum. Quin Baldus addit in præmio
 Feud. n. 24. quando princeps aliquid vult ex
 certa scientia, nemo ei potest dicere, cur id
 facis? & de voluntate principis disputare est
 sacrilegium. Verum longe divortit Christi
 mandatum à talium conatu, ille enim Dominus
 Dominatiū cui omnia sūt propria. Deinde neq;
 cōcedunt L. L. quod cōtra jus aliquid vel velit,
 vel possit princeps, l. ult. c. si cōtra jus. Adeo te-
 etiam ab illo qui damnum passus, conveniri pos-
 sit, ne subditus absq; culpa re sua invitus carere
 cogatur, l. venditor si constat. ff. comm. præ-
 dic. l. 2. C. in quibus causis servus. Gail. l. 2.
 obser. 56. Superiora intelligenda ceteris pari-
 bus, nisi contra jus, & L. C. loquitur de electio-
 ne personatum ad munus, non de ablatio-
 ne rerum. Neque tamen persumitur,
 quemq; contra leges quid
 facere.

F I N I S.



RESPONDENTI.

Qui venit, venit, & veniet; meditatio no-
stræ

Unica sit mentis, noster & unus amor.
Hunc studio, Hunc exercitio, SAMUEL ti-
bi STURMI

Deligis, & quoque te deligit ipse sibi.

*Hoc versu & votote donat
mente favente*

JOHANN GEORG BOHR
Reip. Hall. Sax. Syndicus,
jam Hospes.

Christus ubi Solymam turba comitan-
te profectus

Urbs turbata quasi turbine tota fuit.
Nã quamvis asinã pullog, resederit, idem
Mactatus magni Regis honore tamen.
Alter enim mittit jumeta libenter, & alter
Vestimenta dat, ast alter Osanna sonat.
Quid mulos calcas & equos? procumbe
Dynastal

Ostrag, quid jactas? non ea Christus a-
mat.

Pandus asellus equus, sunt sicut ephippia
vestes,

et precentorum clangor Osanna tube.

Hinc

Hinc benedictus ovat Domini qui nomine
venit

Ac comes omnis ei semper Osanna canit.

Pluribus id monstrat ceu disprisitio

STURMI

Iungere quo simul ac posset Osanna suum
DIVITIAS EVANGELII disquirere pergat,

Post turbasq; soli promet Osanna poli.

ita optat

GVEINZIVS

PRÆSES.

Cedite purpurei jurata palatia Reges

Romæ, perpetuum subdere discis

caput!

Dum tua mansueto spernit capitolia passus

Christus, inquit populi regia tecta sui:

Nec sine convicij turba, nova gaudia por

tat,

Et lætas animis spes jubet ire piis.

Hi laudes captant; His STURMIVS occidit

ultra,

Quæq; meret sancto ferta labore capit-

Nunc duce se spondet ventura silentia

Mundi;

Egregium! Christi sic bene crescit honor.

M. CASPAR ALEXANDRI.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017

EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

UM
CARVM
QUEINZIO
IRMIO
ventus
UM
brioris Oel.

